

1537

*Jadera &
Nauplium
praefidiis
munita.
Uscochis fa-
cultas pra-
das agendi
permittitur.*

rentur. Ducenti pedites Jaderam, totidem Nauplium in Pe-
loponneso subsidio missi. Dalmatiae praefectis demandatum,
ut edicto publico Uscochis, alias invisae genti, libere excur-
rendi maria, ac praedas agendi facultatem permitterent. Sin-
gulis Reipublicae magistratibus, qui maritimis ditionibus praer-
erant, jussu, ut, praecipuis, atque insignioribus viris ad se
vocatis, Senatus sententiam de hostium impetu fortiter susti-
nendo patefacerent; ad patriae defensionem, ad justa pro Ve-
neta Republica arma induenda cohortarentur, spiritus acue-
rent; quae de illorum virtute, ac fide in Patrum animis ef-
fet opinio, gravi oratione significarent.

*Franciscus
Maria
Urbini Dux
suam operam
Reipublicae
desert.*

Eodem tempore Franciscus Maria Feltrius, Urbini Dux,
terrestrium Reipublicae copiarum imperator, Venetias acces-
sit; Principi ac Patribus, quaecunque ad retinendum, vel
propagandum Reipublicae imperium spectarent, atque in se si-
ta essent, summo animi affectu detulit; opes, ditiones, vi-
tam denique ipsam, quam si post anteauctos labores pro Ve-
neta Republica & pro christiani nominis gloria effundere
contigisset, quid magis vel ad praesentium laudem, vel ad
posterorum gratiam promerendam illustrius, ac praeclearius si-
bi accidere potuisset? Guidum Ubaldum filium ad omnes
belli casus objiciendum, a suo latere nunquam digredi passu-
rum; uxorem in urbe relicturum, ut aedes illi tribuerentur,
rogare: se reliquis solutum curis, belli munera ardenti, quo
semper Rempublicam animo fuerat complexus, naviter, at-
que intrepide obiturum: non diffiteri, in Andrea Auria na-
valium rerum usum vigere, maritimis e preliis, atque oppugna-
tionibus, hinc fortasse adjutum, multa virtutis specimina edi-
disse: se nihilominus scire, superioribus annis, atque in Numi-
dica praesertim expeditione, eundem non semel lapsu in erro-
rem esse. Hæc Princeps Gritus in Senatu de more Patribus
exposuit: Urbinatis caritatem in Rempublicam summis laudi-
bus ornavit; bellicam virtutem usu confirmatam, gravissimis,
difficillimisque temporibus testatam, extulit: neque vero sibi mi-
nora maritimo, quam terrestri bello de egregio imperatore pol-
liceri. Addidit, si ita e Republica esse Patres censerent, atque
in se ipso arduis hisce, ac turbulentis temporibus aliquid opis si-
tum esse existimarent, ultro se ad classem iturum, omnibus
peri-

*Andreas
Gritus prin-
ceps se, opes-
que suas Se-
natui exhibet.*

*Urbinatis a
Venetis a-
des dono da-
ta.*